Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66951-p0001-7

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

Nondum adhuc res GERMANIÆ ad eum pervenerunt ſtatum, ut nihil nobis amplius metuendum eſſet; verùm ea potius eſt rerum omnium facies, ut rectiſsimè dixerit Poëta: *Nil læti ſupereſt; oſtentant omnia luctus; Neſcio, quæ clades ſera, ſed ampla, venit.* Et cùm ob peccata noſtra multiplicia, quibus adhuc ſingulis momentis, iram DEI juſtiſſimam, in nos provocamus, plura quoq; acerbiora, procul dubio, expectanda ſint; *beatè omninò cum iisdem agitur,* qui fide apprehendentes & applicantes ſibi meritum CHRISTI ſufficientiſsimum, in verâ ejus invocatione, *ſeſe maturè calamitatibus futuris ſubtrahunt,* & depoſitis quidem exuviis corporis, ad ſupremum uſq; JESU CHRISTI adventum, terræ gremio; quoad *animam* verò, *divinæ particulæ auram,* ad ſempiternam felicitatem, piè concedunt. Etenim *Nulla ſalus terris, in cœlis vera paratur: Hanc qui contingit, ritè beatus erit.* Atq; hunc quoq; portum beatitudinis cœleſtis, in fide & invocatione conſtanti, proximo die Lunæ, appulit VIR Clariſſimus & Doctiſſimus Dn. WILHELMUS UDALRICUS ROMANUS von Mückershauſen/ J. U. Doctor & Profeſſor Publicus deſignatus; poſtquam ex voluntate DEI imperſcrutabili, per ægritudines corporis probatus, periculi haud expers fuit, conſopitus tandem placidè, abjectis omnibus infirmitatibus, & doloribus corporis fortiter ſuperatis. Nullum autem eſt dubium, quin ex caſu hoc planè inexpectato, obituq; τοῦ μακαρίτου repentino & præmaturo, *Ampliſſima* ROMANORUM *familia,* in luctu & dolore conſtituta ſit acerbiſsimo; inprimis verò GRANDÆVUS Dn. PARENS non parùm doleat, cùm non una ſeſe offerat doloris forma & ratio; *Filium amiſit,* pium, morigerum, in quo SUI imaginem contuebatur. *Filium amiſit,* cui ut & alteri ſuo Filio (*rariſſimum exemplum!*) Dn. D. FRANCISCO ROMANO, unà cum reliquis Dn. Competitoribus, VIRIS honoratiſsimis, mitram Doctoralem lætabundus impoſuit. *Filium amiſit,* qui è Cathedrâ juridicâ ſtudioſam juventutem docere propediem volebat. Quæ quidem, ut & alia, ſi altiori mentis trutinâ penſitemus, non injuſtam doloris & mœroris cauſam præbere Dn. PARENTI haud diffitemur; Veruntamen quia ſic viſum DEO fuit, ut ex ſummis, quæ nos adhuc circumſtant periculis, animam, ſibi placentem, eriperet; ipſa pietas Chriſtiana, *Familiam honoratam,* inprimis Dn. PARENTEM, jubet ferre moderatiùs FILII SUI dilectiſsimi obitum: *Cogitet is,* non fortuitò, ſed ex DEI omnipotentis nutu; non vi morbi, ſed manu DEI; non animo irato, ſed affectu verè paterno illum è vivis ſublatum: *Conſideret is,* illum ex afflicto, quietum; ex ſqualido, lætum; ex miſero, beatum redditum. Nempe is, *quem DEUS diligit, Adoleſcens moritur,* ut Ethnicis etiam creditum fuit. Jam quæ auguſtior gloria, apud cœlites, an in terris ſemen habere? ad æternitatem genus traduxiſſe, an inter mortales propagare? Quæ major gloria in cœleſtis Doctoris aſpectu & amplexu hærere, an inter mortales verſari? in cœlis ςέφανον τῆς δόξης ἀμάραντον geſtare, an in terris mitram Doctoralem oſtentare? Quare erige, *Parens optime,* animum tuum, *beatæ diſſolutionis,* FILII tui, *conſideratione; felicitatis,* ad quam pervenit, *piâ meditatione; reſtitutionis,* quæ propè eſt, *quotidianâ cogitatione; & futuræ perpetuæ cohabitationis,* quam ſacræ Literæ promittunt, *pollicitatione;* projice, quæcunq; cor tuum laniant. Poſtulant hoc abs te ipſi FILII manes, cui juſta nunc ritè ſunt perſolvenda. Atq; ut noſtro etiam officio non deſimus, paucis VITAM AC VIRTUTEM τοῦ μακαρίτου memoremus & laudemus, atq; in numero felicium reponamus, cui quantulumcunq; temporis contigit, benè collocatum eſt.

Prodiit in hanc lucem piè defunctus heic LIPSIÆ, PARENTIBUS HONORATISSIMIS, Anno recuperatæ per Chriſtum ſalutis, ſupra Milleſimum Quingenteſimum nonageſimo octavo, die XIX. M. Martii. PATER ejus eſt Magnificus, Reverendus, Ampliſſimus, Conſultiſſimus D. FRANCISCUS ROMANUS HÆREDITARIUS von Mückershauſen in Braußwigk/ JCtus, Electoris Saxoniæ CONSILIARIUS, Decretalium PROFESSOR Publicus; Juridicæ Facultatis ORDINARIUS; Curiæ provincialis judicii ADSESSOR Primarius; Eccleſiæ Cathedralis Martiſpurgenſis CANONICUS; Academiæ noſter DECEMVIR; Vir rerum uſu multiplici, meritiſq; in publicum extantibus, quà domi, quà foris, nominatiſſimus; utpote cujus operam, per aliquot annorum decadas, tam AULA ELECTORALIS SAXON. quàm ACADEMIA noſtra ſenſit, & adhuc, per DEI gratiam, experitur ſalutarem apprimè ac fructuoſam. MATER verò piè defuncti eſt MARGARETA, Matrona honeſtiſſima (oriunda Coloniæ Agrippinenſis ex laudatiſſima & antiquiſſima Familia ab Aecht, quæ heic LIPSIÆ *Baccoviorum* nomine indigitata fuit) quæ Patrem habuit Dn. FRIDERICUM ab Aecht/ BACOVIUM; SENATOREM p. m. hujus urbis prudentiſſimum, ſpectatiſſimum. Ab his ergo parentibus ſuis honoratiſsimis, ſtatim ab ineunte ætate, adhibitus eſt ὁ μακαρίτης ad ſtudia pietatis & literarum; cùm præſertim εὐφυΐα quædam, h. e. ingenii indoles præclara mox in illius primâ pueritiâ ſe non obſcurè proderet; & initio quidem fundamenta pietatis & doctrinæ liberalis, ſingulari diligentiâ, ſucceſſuq; felici, poſuit *in Scholâ Senatoriâ ad D. Nicolai;* cujus ſpatio aliquot annorum diſcipulus, præceptorum elogio, obedientiſſimus fuit; Ex ea Scholâ egreſſus, cùm adminicula neceſſaria ad ſtudia Academica afferret, perbrevi temporis ſpatio, eam per exercitia doctrinæ, tam publica, quàm privata, navavit operam, ut non ſolùm in ſtudio linguarum & artium, ſed & in ſolidiore Philoſophiâ peripateticâ, χειραγωγίᾳ M. ANDREÆ Bauers/ jam ad D. Nicol. DIACONI, & AFFINIS ſui haud dubiè mœſtiſſimi, progreſſus faceret planè egregios, ut Anno 1615. cum cæteris ſuis æqualibus, *Primos* in Philoſophiâ *Honores* prenſaret, eoſdemq; publicâ autoritate acciperet, *à Communitate Artium,* in hac Academiâ, *laudatiſſimâ.* Etſi verò eas in ſtudiis Philoſophicis piè defunctus fecerat progreſſiones, ut ad conſequendam *ſupremam in Philoſophiâ Lauream ſatis* ſibi videretur *instructus à ſubſidiis,* ad MAGISTERIUM *ſpectantibus;* quia tamen ſingulari *ſtudio legalis Scientiæ* flagrabat, non contemtu quodam Philoſophiæ, cui unicè deditus erat, ſed partim amore erga ſtudium juris ampliſsimum; partim ſuaſu Dn. PARENTIS, à Magiſterii honoribus petendis abſtinuit; Unde & maturè cœpit non ſolùm audire publicos Profeſſores, VIROS in juris ſcientiâ Excellentiſsimos; ſed etiam diverſa habuit Diſputationum Exercitia; uſus non modò Duce ac directore Viro Excellentiſsimo & Conſultiſsimo Dn. WILHELMO Schmuck/ U. J. Doctore & Profeſſore publico; cujus informatione fideli plurimùm in hac diſciplinâ ſe profeciſſe, gratâ mente is ſæpè teſtatus eſt; ſed etiam Dn. PARENTIS manuductione; cujus etiam colloquio cotidiano non parùm ejus judicium fuit confirmatum. Ex quo ſanè factum eſt, ut præmiſsis, cùm variis & diſputandi & prælegendi Exercitiis, tum examinibus rigoroſis, quæ Statuta Ampliſsimæ Facultatis præſcribunt; non modò *Primam* in utroq; jure *Lauream,* quam *Baccalaureatum* vocant, Anno 1624. Die 16. Iunii: ſed etiam *Secundam,* quam *Licentiam* indigitant, Anno 1626. D. 12. Iulii, ex unanimi *Ampliſſimæ Facultatis Juridicæ* ſuffragio & judicio, non ſine laude, reportaret. Interea delectatus eſt magnopere peregrinationibus, eamq; ob cauſſam cum fratre ſuo Dn. D. FRANCISCO ROMANO in Academiam Witebergenſem ſeſe contulit; ibidemq; Magnifici *Viri* Dn. BARTHOLOMÆI REUSNERI, J. U. D. Conſiliarii Electoralis & Profeſſoris publici, nec non Facultatis juridicæ ORDINARII, Dn. *Affinis* ſui honorandi, tecto & menſâ uſus eſt; *Quem,* ut & alios ibidem publicos Profeſſores juris Clariſsimos & Excellentiſsimos diligentiſsimè audivit. Propoſuerat etiam ſibi in alias etiam Academias ſeſe recipere, ſi id commodè propter tumultus ubivis ferè locorum gliſcentes, & peſtis tum temporis ſævientis injuriam, fieri potuiſſet. Quare neceſſariò peregrinationem ulteriorem differre coactus fuit, uſq; dum motus illi bellici, unà cum luis peſtiferæ ſævitiâ ſedarentur, & ſtatus Imperii Romano-German: pacatior fieret. Dum verò, hanc ob cauſam, domi ſeſe continuit; factum eſt, ut inſtinctu Dn. ſuorum Competitorum, in honoribus Doctoralibus prenſandis pergeret; Unde, hoc ipſo anno, D. 12. Julii, cum *Quatuor* ſuis Dn. *Competitoribus J. U. Doctor,* in *Templo Academico,* ſolenniter renunciatus eſt. Et cùm ſuperioribus menſibus, ex obitu Clariſsimi Viri Dn. VINCENTII Schmuck/ J. U. Doctoris & Profeſſoris publici, vacare cœpit *Quinta* ſive *Ultima* Profeſsio Juridica; piè defunctus, tum temporis adhuc *Licentiatus,* non ſolùm ab *Ampliſſima Facultate Juridica* ὁμοθυμαδὸν denominatus; verùm etiam conſenſu & voluntate Clementiſsimâ Noſtri *Electoris Sereniſſimi* in profeſsionem vacantem, (*quæ nulli aliàs, ante dignitatem Doctoralem, contingere ſolet,*) d. 27. Julii, ſuffectus eſt. Ex quo ſanè tempore piè defunctus nihil magis in votis optatisq; habuit, quàm ut Spartam, divinitùs ſibi oblatam, pro virili ornaret. Hinc animus ipſi fuit, Aſtrææ litantibus, initium lectionum publicarum, publico programmate, proximo die Solis, d. 23. Sept. indicare; eaſdemq; præmiſsâ oratione, ut vocant, inaugurali, die 27. Sept. BONO cum DEO, auſpicari. Cui ſanè functioni laudatiſsimæ haud dubiè ſummâ fide & induſtriâ, nec ſine fructu juventutis ſingulari præfuiſſet, niſi Voluntate DEI imperſcrutabili, ex hac terreſtri, in cœleſtem Academiam, evocatus fuiſſet. Quod ad reliquam τοῦ μακαρίτου vitam attinet, à primis annis Chriſtianæ pietatis & religionis ſinceræ ſtudioſus fuit; CHRISTUM JESUM Redemtorem ſuum cùm PATRE & SPIRITU SANCTO toto corde veneratus eſt; *Verbum* illius ſacroſanctum, in publicâ totius Eccleſiæ congregatione, ſedulò & diligenter audivit; ad *Cœnam Dominicam* cum Parentibus & reliquis familiaribus, quotannis ſæpius acceſsit; & *Domi, ſedulò Biblicæ Lectioni & piis cantionibus precibusq́, certam horam, ſingulis diebus, devotè conſecravit;* perq; omnem vitam ſuam ſecutus eſt moderatam & æquabilem vivendi rationem; erga Parentes & ſuperiores obſervantiſsimus; in cæteros æquiſsimus; nemini moleſtus; ſed potius omnibus, cum quibus vixit conjunctiſſimè, gratus & acceptus. Factum eſt autem, ut Nephriticus & Hepaticus affectus, qui longo tempore illum infeſtârunt, indies incrementum ſumerent; quibus non ita pridem acceſſerunt, tam καχεξία, quàm ἀτροφία periculoſa; quibus inſecutis, fatalem ſibi metam inſtare haud temerè conjectavit μακαρίτης, fruſtrà adhibitis quibuſcunq; Medicorum auxiliis. Ideò ad nutum DEI ſe totum compoſuit, & accepto ſaluberrimo viatico Corporis & ſanguinis IESU CHRISTI, proximo die Sabbathi, ad beatam ἀνάλυσιν præparavit. *Preces illius nihil aliud niſi cœli deſiderium ſpirârunt & amorem* CHRISTI, quem ſe paulò poſt viſurum conſtanter aſſeruit. Et cùm præter animum & ſpiritum ſibi vix quicquam ſupereſſet, velut ſupra morbi conditionem elevatus; cum *Adſtantium Catervâ,* pias preces ac cantiones diverſas ingeminavit; inprimis verò Pſalm. 142. *ſecundum Beccerianam Melodiam:* Ich ſchrey zu meinem lieben Gott/ vnd ruff mit lauter Stimme/ ꝛc. *Item:* Erlöß vns von dem ewigen Todt/ vnd tröſt vns in der letzten Noth/ beſcher vns auch ein ſeliges Endt/ nim vnſer Seel in deine Händ/ Amen/ das iſt/ es werde wahr/ ꝛc. integrâ quidem mente, non tamen ſine ſingultu repetiit, & SE J[illegible]-JA[illegible]-DORMITURUM dixit, & quaſi ad ſomnum ſeſe compoſuit; ſed & adhuc inter vota & ſuſpiria mors inopinanti cœpit obrepere; Ideoq; jam in ipſo agone, languentibus oculis, jam titubante linguâ, jam ſingultiente ſpiritu, pallidus ac rigens, omnibus quaſi defunctus ad Chriſtum ſeſe convertit; voce, cum corpore moriente, ſe illi adhuc commendavit; atq; ſine omni naturæ luctu aut mortis ſenſu placidiſſimè expiravit, *proximo die Lunæ, poſt ſextam ſtatim horam veſpertinam,* Anno ætatis ſuæ XXVII. & quod exceſſit. Corpus animæ illius hoſpitium hodie circiter horam III. imponendum eſt tumulo, ut expectet Reſurrectionem, cùm æternus DEI FILIUS jura fatorum daturus eſt vivis & mortuis. Quo tempore ut *Noſtri,* piè defuncti funerationem, ſuâ præſentiâ, cohoneſtent, atq; erga Magnificum Dn. ORDINARIUM noſtrum ejuſq; Familiam ſpectatiſsimam, ſignum aliquod Chriſtianæ συμπαθείας exhibeant, volumus & mandamus. *Quod* ipſum non ſolùm per ſe *pium,* ſed etiam Ordini noſtro *honorificum,* & procul dubio *Familiæ* ROMANORUM *Ampliſſimæ gratum & acceptum* futurum eſt. P.P. Die 20. Septemb. Anno recuperatæ per CHRISTUM ſalutis M. DC. XXVII.

LIPSIÆ, Excudebat GREGOR. Ritzſch.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66951-p0003-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66951-p0005-9

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

NOndum adhuc res GERMANIÆ ad eum pervenerunt ſtatum, ut nihil nobis amplius metuendum eſſet; verùm ea potius eſt rerum omnium facies, ut rectiſsimè dixerit Poëta: *Nil læti ſupereſt; oſtentant omnia luctus; Neſcio, quæ clades ſera, ſed ampla, venit.* Et cùm ob peccata noſtra multiplicia, quibus adhuc ſingulis momentis, iram DEI juſtiſſimam, in nos provocamus, plura quoq; acerbiora, procul dubio, expectanda ſint; *beatè omninò cum iisdem agitur, qui* fide apprehendentes & applicantes ſibi meritum CHRISTI ſufficientiſsimum, in verâ ejus invocatione, *ſeſe maturè calamitatibus futuris ſubtrahunt*, & depoſitis quidem exuviis corporis, ad ſupremum uſq; JESU CHRISTI adventum, terræ gremio; quoad *animam* verò, *divinæ particulæ auram*, ad ſempiternam felicitatem, piè concedunt. Etenim *Nulla ſalus terris, in cœlis vera paratur: Hanc qui contingit, ritè beatus erit.* Atq; hunc quoq; portum beatitudinis cœleſtis, in fide & invocatione conſtanti, proximo die Lunæ, appulit VIR Clariſſimus & Doctiſſimus Dn. WILHELMUS UDAL- [illegible] DEI imperſcrutabili, per ægritudines corporis [illegible] is fortiter ſuperatis. Nullum autem eſt dubi[illegible], in luctu & dolore conſtituta ſit acerbiſsimo [illegible] *n amiſit*, pium, morigerum, in quo SUI in[illegible] cum reliquis Dn. Competitoribus, VIRIS ho[illegible] n docere propediem volebat. Quæ quidem [illegible] diffitemur; Veruntamen quia ſic viſum DEO f[illegible] *amiliam honoratam*, inprimis Dn. PARENTEM [illegible] i morbi, ſed manu DEI; non animo irato, ſe[illegible], beatum redditum. Nempe is, *quem* DEUS *dili*[illegible] ere? ad æternitatem genus traduxiſſe, an in[illegible] i? in cœlis στέφανον τῆς δόξης ἀμάραντον geſtare, [illegible] *conſideratione*; *felicitatis*, ad quam pervenit, *piâ meditatione*; *reſtitutionis*, quæ propè eſt, *quotidianâ cogitatione*; *& futuræ perpetuæ cohabitationis*, quam ſacræ Literæ promittunt, *pollicitatione*; projice, quæcunq; cor tuum laniant. Poſtulant hoc abs te ipſi FILII manes, cui juſta nunc ritè ſunt perſolvenda. Atq; ut noſtro etiam officio non deſimus, paucis VITAM AC VIRTUTEM τοῦ μακαρίτου memoremus & laudemus, atq; in numero felicium reponamus, cui quantulumcunq; temporis contigit, benè collocatum eſt.

Prodiit in hanc lucem piè defunctus heîc LIPSIÆ, PARENTIBUS HONORATISSIMIS, Anno recuperatæ per Chriſtum ſalutis, ſupra Milleſimum Quingenteſimum nonageſimo octavo, die XIX. M. Martii. PATER ejus eſt Magnificus, Reverendus, Ampliſſimus, Conſultiſſimus D. FRANCISCUS ROMANUS HÆREDITARIUS von Mückershauſen in Braußwigk / JCtus, Electoris Saxoniæ CONSILIARIUS, Decretalium PROFESSOR Publicus; Juridicæ Facultatis ORDINARIUS; Curiæ provincialis judicii ADSESSOR Primarius; Eccleſiæ Cathedralis Martiſpurgenſis CANONICUS; Academiæ noſter DECEMVIR; Vir rerum uſu multiplici, meritisq; in publicum extantibus, quà domi, quà foris, nominatiſſimus; utpote cujus operam, per aliquot annorum decadas, tam AULA ELECTORALIS SAXON. quàm ACADEMIA noſtra ſenſit, & adhuc, per DEI gratiam, experitur ſalutarem apprimè ac fructuoſam. MATER verò piè defuncti eſt MARGARETA, Matrona honeſtiſſima (oriunda Coloniæ Agrippinenſis ex laudatiſſima & antiquiſſima Familia ab Aecht, quæ heîc LIPSIÆ *Baccoviorum* nomine indigitata fuit) quæ Patrem habuit Dn. FRIDERICUM ab Aecht / BACOVIUM; SENATOREM p. m. hujus urbis prudentiſſimum, ſpectatiſſimum. Ab his ergo parentibus ſuis honoratiſsimis, ſtatim ab ineunte ætate, adhibitus eſt ὁ μακαρίτης ad ſtudia pietatis & literarum; cùm præſertim εὐφυΐα quædam, h. e. ingenii indoles præclara mox in illius primâ pueritiâ ſe non obſcurè proderet; & initio quidem fundamenta pietatis & doctrinæ liberalis, ſingulari diligentiâ, ſucceſſuq; felici, poſuit *in Scholâ Senatoriâ ad D. Nicolai*; cujus ſpatio aliquot annorum diſcipulus, præceptorum elogio, obedientiſſimus fuit; Ex ea Scholâ egreſſus, cùm adminicula neceſſaria ad ſtudia Academica afferret, perbrevi temporis ſpatio, eam per exercitia doctrinæ, tam publica, quàm privata, navavit operam, ut non ſolùm in ſtudio linguarum & artium, ſed & in ſolidiore Philoſophiâ peripateticâ, χειραγωγίᾳ M. ANDREÆ Bauers / jam ad D. Nicol. DIACONI, & AFFINIS ſui haud dubiè mœſtiſſimi, progreſſus faceret planè egregios, ut Anno 1615. cum cæteris ſuis æqualibus, *Primos* in Philoſophiâ *Honores* prenſaret, eoſdemq; publicâ autoritate acciperet, *à Communitate Artium*, in hac Academiâ, *laudatiſſimâ*. Etſi verò eas in ſtudiis Philoſophicis piè defunctus fecerat progreſſiones, ut ad conſequendam *ſupremam in Philoſophiâ Lauream ſatis* ſibi videretur *inſtructus à ſubſidiis*, ad MAGISTERIUM *ſpectantibus*; quia tamen ſingulari *ſtudio legalis Scientiæ* flagrabat, non contemtu quodam Philoſophiæ, cui unicè deditus erat, ſed partim amore erga ſtudium juris ampliſsimum; partim ſuaſu Dn. PARENTIS, à Magiſterii honoribus petendis abſtinuit; Unde & maturè cœpit non ſolùm audire publicos Profeſſores, VIROS in juris ſcientiâ Excellentiſsimos; ſed etiam diverſa habuit Diſputationum Exercitia; uſus non modò Duce ac directore Viro Excellentiſsimo & Conſultiſsimo Dn. WILHELMO Schmuck / U. J. Doctore & Profeſſore publico; cujus informatione fideli plurimùm in hac diſciplinâ ſe profeciſſe, gratâ mente is ſæpè teſtatus eſt; ſed etiam Dn. PARENTIS manuductione; cujus etiam colloquio cotidiano non parùm ejus judicium fuit confirmatum. Ex quo ſanè factum eſt, ut præmiſsis, cùm variis & diſputandi & prælegendi Exercitiis, tum examinibus rigoroſis, quæ Statuta Ampliſsimæ Facultatis [illegible] *Secundam*, quam *Licentiam* indigi-